



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Bidermani E Soc. Iesv Ignativs Sive De Vita Et  
Gloria S. Ignatii Loiolæ Soc. Iesv Conditoris Libri Tres**

**Bidermann, Jakob**

**Antuerpiae, 1635**

Miracula Miscellanea. Cap. IX.

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10788217-5**

IGNATII *alia quædam admi-  
randa.* CAP. IX.

68. **F**EMINA fuit Inda, quæ im-  
puris olim ignibus conflagrat,  
ijsq; tam infestis, vt extinguen-  
guendis illis esse vix putaretur. Ea  
post quàm ad IGNATII cineres  
religiosè venerandos animum ap-  
plicuit, omne illud libidinis incen-  
dium, quo miserrimè depasceba-  
tur, ac panè insaniebat, velut affu-  
sâ frigidâ confestim restinxit. Sub  
idem ferè tempus, loco non vno,  
ægros alios IGNATIVS erexit:  
alios ab alto in præceps actos ser-  
uauit; aut tempestatum iniurijs ia-  
ctatos, aut varijs difficultatibus  
pressos, opportuno patrocínio mul-  
tos defendit.

69. CATACENSE est oppidum,  
in eâ parte Italiæ situm, quam  
Prouinciam Neapolitanam faci-  
mus, Collegio Societatis insigne:  
vbi res accidit in primis hodie me-  
moranda; quam haud satis scio, ad-  
mirationis plus habuisse dicam, an

voluptatis: certè autem ad IGNA-  
 TII nomen attulit in tempore non  
 leue momentum. Ingenui sangui-  
 nis Matrona, cum legitimo toro  
 prolem masculam suscepisset, ei-  
 que, quòd IGNATII studiosior  
 esset, nomen ab illo inditum per-  
 quàm vellet, virum habuit suis con-  
 silijs pertinaciter aduersum. Gaspar  
 is Mariscanus erat, qui pridem  
 IRENAEI nomen, quàm IGNA-  
 TII non obscure malebat. Loci  
 enim patriæq; Tutela IRENAEVS  
 habebatur; & quòd eius ibi cinea-  
 res religiosè coluntur, eum sibi ci-  
 uitas omnis patronum adoptauit.  
 Igitur viro, quem dixi, in senten-  
 tiâ manente, & aduersus IGNA-  
 TIVM dimicante, stetit nihilo mo-  
 bilior coniux: perguntque vterque  
 in incepto, hæc IGNATIVM no-  
 minare, maritus IRENAEVM di-  
 cere. Inde iurgium, sed, vt inter  
 coniuges, familiare. Neque com-  
 poni aliter hæc duorum altercatio  
 potuit, quàm si puer (quando de  
 pertinaciâ partes nihil remittebât)  
 vtrius-

vtriusque Diui insignia caperet,  
 iunctoque nomine simul IGNA-  
 TIVS IRENAEVS prodiret. Pla-  
 cuere conuenta: & mox, gratulan-  
 te familiâ, binominis infans salu-  
 tatur. At non diu tenuit hæc par-  
 tium concordia: nam vt sua cuique  
 opinio infederat, ita alterum alte-  
 rumve nomen suâ quisque præro-  
 gatiuâ iuuabat. Demum rumpun-  
 tur vtriusque fœdera: vxor ad in-  
 genium reuerfa, puerû numquam,  
 nec per se ipsa, nisi IGNATIVM  
 appellare: nec vt aliud familia vel-  
 let, permittere. Idem in Gaspare  
 studium esse in partibus fouendis,  
 assiduè suum sibi IRENAEVM vo-  
 care, ac ceteris, ne secus facerent,  
 pro imperio edicere. Heris hunc  
 in modum pugnantis, ipsa fa-  
 milia, vtri se adiungeret, incerta,  
 vehementer ambigebat. Iam alter  
 in altercando mensis, iam pænè  
 tertius abierat, nec spes interim vlla  
 dissidij tollendi: cum vsu venit, vt  
 per eos fortè dies in consuetudine  
 plusculum incalescerent, & porrò  
 O 4      litem

litem assiduam pertæsi, vincere  
causâ tandē alterutrum optarent.  
Igitur erupit aliquando Gaspar, &  
ferocior, omittere feminam has ve-  
litationes iubet, litemque omnem,  
si causæ fideret, ad elingues cunas  
sistere: pro utro pronuatiasset in-  
fans, is enim uerò vicisse in iure  
crederetur. Nondum fari per æta-  
tem tunc poterat infans: quippe  
quem plus tertium mensem non  
attigisse, suprâ docuimus. Accepit  
ridiculam conditionem vxor, & in  
viri sententiam ituram se, haud  
grauatè promittit, si contra se lis  
daretur. Accurritur ex compacto  
rectâ ad cunas. Ibi Gaspar, filium  
fandi rudem, ecquod esse sibi no-  
men ipse cupiat, blandè festiueque  
percontatur. Has nimirum delicias  
facturus pater, superuacuum re-  
batur, ab infante responsum ex-  
spectare. Cùm, ecce tibi, erigit se  
trimestris infantia, & insperatò,  
IGNATIUM vocari se velle, diser-  
tè respondet. Hic miraculo stupe-  
factus hæere pater, sed gaudio ela-

ta gestire mater, & causam ab infante peroratam IGNATIO gratulari. Cederet proinde peruicax maritus, suumque ius ijs permitteret, quos insolentia miraculi defendisset. Gaspar id ostentum non insuper habendum arbitratus, mox ultro in vxoris arbitrium concessit: nec puero solum IGNATII nomen iam indere, sed totum IGNATIO puerum decreuit emancipare.

70. Alterum factum, ac proximo priori pænè geminum, Calaritani obseruarunt. Appetebat dies, quem Pontifex Romanus IGNATIO festum instituerat; iamque adeo eius diei peruigilium suberat, cum ciuitas cœpit in eo tota niti, quæ gaudium, quod ex decretis honoribus capiebat, vberrimè testaretur. Inter cetera conuenit, vt ignes nitrato puluere excitati, utque glandes è tormentis quaquaversum effusæ, urbem festo innoxioque tonitru complerent. Factum. Audiit fragorem crepantium pilarum bimula puella, & continuo

exclamat, *Dies crastinus S. IGNATII natalis erit.* Poterat istud quidem non valdè mirum videri, si suspicio esset, infantem aut edoctam ab aliquo fuisse, aut temerè per seipsam in aliquos de IGNATII colloquentes incidisse: quorum deinde verba (vt blæsa plerumque infantia solet) itidem ipsa conaretur. Nunc satis compertum est, horum omnium nihil fuisse, & IGNATII nomen ad aures puellæ antea numquam vnumquam accidisse: cum ex loci consuetudine non sanè IGNATIVS ille, sed vulgò BEATVS ibi appellaretur. Auxit rei admirationem, quòd ibi tum feminae fortè curabant, earum ædium inquilinae, quibus ea puellæ vox, neque cum incolarum vsu, neq; cum infantis ætate satis congruere visa. Idcirco admiratæ, & an opinione fallerentur, dubiæ, iteratò ex puellâ sciscitantur, ecquid ea postero die dixisset futurum; Excipit intrepidè puella, & verò *Sacra IGNATIANA* dixisse se, perse-

perseuerat. Ita manifestò intellectum est, occultâ vi puellam moueri: & vbi pro cælitibus loquendum sit, *ora infantium ac lactentium* esse diserta posse.

71. NEAPOLI prætereà pridie quàm IGNATIANA fierent, cuius quidam animum piacularibus facris lustrauerat; riteque procuratus, commodùm è templo discesserat, cum in limine domus cognoscit, amissum esse infantem, fratris filium, annos non plus duos natum. Quippe cœperat primùm hac illac perreptare, ac paullatim ex obseruantium oculis abire: mox (vt incauta est omnis infantia) se ipse amittere. Non aduerterat primum alios hæc eius absentia: post verò quàm cœptus est desiderari puer, sollicitum, præter ceteros, hunc, quem dixi, patrum habuit. Is persequitur continuò errantem, incertus quâ sequeretur. Quippe, quòd in vrbe frequentissima solet, metus erat, ne quâ collisus in turbâ obtereretur; aut nusquam  
agni-



agnitus, à plagiarijs callidè exciperetur. Ita diu multumque peruagatus, minus nihilo profecit. Venit in mentem demique, forū nundinarium petere, vbi in reliquo mercatu, reperiri etiam quæsitus infans posset. Dum eò decurrit, subit animum, magis ab IGNATIO, cuius ipse Natalem religiosè colere iam cœpisset, opem flagitare. Quare de viâ tantisper ad Societatis ædem diuertit: & ibi conceptis verbis, si puerū incolumem reperisset, institit ad gratas IGNATIO gratias habendas, ieiunium vouere. Secundùm hæc illicò, nescio quæ vox intus audiri: Macte animo esset; imminere quidem puero periculum graue, sed Superis benè iuuantibus, nihil accepturum damni. Homo plenus spei recedit, & quò vocari se sentiebat, eò loci contentè festinat. Ibi vt celeriter anxieque circumspexit, videt (horrendum dictu!) infantem iacere humi effusum, & carpenti rotam ei supra pectus decurrere, & equi calces

calces capiti brachioque insistere.  
 Tantum non exanimatus specta-  
 culo, cum clamore ad haud dubium  
 cadaver accurrit. Verum ecce tibi  
 reperit, quod ei promissum fuerat,  
 puerum prorsus incolumem, cum  
 leuibus tantum vestigijs periculi  
 depulsi: ut frons quidem modice  
 icta, brachium autem vix tenuiter  
 perstrictum, ostenderent & in quo  
 discrimine clientulus **IGNATIUS**  
 fuisset, & qua ope patroni seruatus  
 euasisset.

73. Superfedeo singulis hic im-  
 morari; ne rerum similibus (tam-  
 etsi magnarum) turbam patientiam  
 Lectoris obtundam: cum vel  
 solus earum numerus admiratio-  
 nem sit habiturus. Nam, quod ex  
 actis publicis comperimus, ad Cu-  
 riam Romanam relata, imbi que  
 approbata fuere miracula amplius  
 centum quadraginta, quibus **IGNA-  
 TIUS** merita, velut amplissimis testi-  
 bus, signabantur. In his, quinque  
 & viginti recensentur, qui de peri-  
 culosa lethiferaque aegritudine; de-  
 cem

cem alij, qui ab insanabili malo conualuere tredecim, suum sibi visum receperunt. Dentium, & capitis, & ventriculi grauissimos dolores ablegarunt, vnde viginti. Cruciatu renum & calculi quatuor: quatuor alij, vel ab hydrope infesto, vel à paralyfi curati. Pleuritidi vnus, vnus tempestati subductus. Sex qui ab inferno hospite palàm agitabantur, in libertatem vindicati. Quinque aut à latente vomica, aut serpente cancri carcinomate liberati. Totidem alij faucium anginâ soluti: totidem deformibus itrumis expediti. Vnum podagra dolores, duos comitialis morbus deiecerant: sed malo dispari, par ab IGNATIO medicina. Venenum alius imprudens hauserat, quod implorato hoc Medico incolumis eiecit. Eiusdem ope alius ab amentia ad mentem redijt. Quinque aut brachijs collisis, aut cruribus ruptis debiles, in integrum restituti. Sex, grauibus plagis faucij, persanati. Plus quindecim in febris

duo-

duodecim puerperæ in partu nixu-  
 que difficili ad uitæ, acceptâ IGNA-  
 TIO suam & sobolis vitam retule-  
 re. Quæ tamen tot beneficia, quàm  
 paruis officijs plerique fuerint con-  
 secuti, operæ pretium sit narrare.  
 Nam agris viginti tribus subscri-  
 ptum IG NATII nomen; duobus  
 & viginti sola etiam imago, colori-  
 bus depicta, salutis fuit. Tres alij su-  
 pra viginti, verbulo imploratam  
 opem continuò sensere: viginti,  
 nuncupato in eius honorem vo-  
 to; duodetriginta eius aut cinerum  
 aut ossium contactu conualuerunt.  
 Aliquos ipsa eius vitæ lectio iuuat.  
 Quatuor apparentis præsens ad-  
 spectus erexit. Postremò agrorum  
 plurimi, cum specum, in quo Man-  
 resæ coluerat, religiosè inuississent;  
 vncti oleo (quod ex eius lampade,  
 ibi suspensâ, sumebatur) indidem  
 sani valentesque recesserunt.

73. Hæc omnia pluraque talia,  
 quæ sciens prætereo, etsi non in  
 vulgaribus IG NATII miraculis  
 habentur, vnum tamen præter ce-  
 tera

tera egregium multi meritò duxerant; quòd eum videbant à DEO principem eius condendæ Religionis datum, cuius talis inter bonos iuxta ac improbos opera esset futura. Nam ei vtique ad rem tanti nominis audendam efficiendamque, parem DEVS animum indidit. Tum deinde, si quis reputet, quantus ille qualisque de profano milite, & quemadmodum euaserit: quo item vinculo, quamque concordia diuersissima Sociorum ingenia iunxerit: quæ postremò perpessus, & quoties periclitatus, supra humanam fidem durarit, atque vicerit: is nihil profectò nisi perpetuum vitæ miraculum clamitabit.

74. Præterea consilium humano maius mirabitur, quisquis leges ab eo nostræ Religionis latas perpenderit: quæ illas, simul tam similes ceterarum Religionum, & quæ item voluit esse tam diuersas. Adhæc prodigij simile fuerit, familiam eius per vniuersum orbem repente videre propagatam; & prouincijs tribus

bus  
do  
gin  
ne  
plu  
ctâ  
M.  
fruc  
que  
duc  
app  
sim  
ring  
grat  
cala  
dere  
nafi  
uinc  
eius  
lam  
lum  
Sed  
cun  
alijs

bus ac viginti, Collegijs autem domicilijsque trecentis quinquaginta circumscriptam; idque omne factum cogitare annis non amplius sexaginta: nam tot, ab erectâ Societate ad sæcularem annum M. DC. pernumerantur. Iam si fructus bonis arbitris æstimetur, quem auspice DEO & IGNATII ductu, eius posteritas edidit, facile apparebit, rem admiratione dignissimam esse. Sentiunt pridem & ringuntur hæretici, pij probique gratulantur. Ac nisi erubesceret calamus, promptum foret ostendere, Religionem, mores, Gymnasia, templa, cœnobia, vrbes, provincias, regna, nonnullam ab hac eius familiâ opem accepisse: solamque hæresim ac stygem ei bellum & indixisse semper & fecisse. Sed hæc talia me scribere verecundia non sinit: vix permittat ab alijs audire.

P IGNATII